

Cambridge University Press  
 978-1-107-48659-1 - Cornelii Taciti: De Vita Iulii Agricolae, De Origine  
 Et Moribus Germanorum  
 Tacitus  
 Excerpt  
[More information](#)

---

## CORNELII TACITI

DE VITA

IULII AGRICOLAE

LIBER

Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, 1

Biographical writing in Republican times. antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. sed apud priores ut agere digna memoratu 2 pronum magisque in aperto erat, ita celebrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius 3 morum quam adrogantium arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit: adeo virtutes isdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. at nunc narraturo mihi vitam defuncti 4 hominis venia opus fuit, quam non petissem incusaturus. tam saeva et infesta virtutibus tempora.

Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, 2

Its dangers under Domitian. Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsis modo auctores, sed in libros quoque.

S.

I

Cambridge University Press

978-1-107-48659-1 - Cornelii Taciti: De Vita Iulii Agricolae, De Origine  
Et Moribus Germanorum

Tacitus

Excerpt

[More information](#)

2

*CORNELII TACITI*

eorum saevitum, delegato triumviris ministerio ut monu-  
menta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro  
2 urerentur. scilicet illo igne vocem populi Romani et  
libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri  
arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus  
atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam  
3 honestum occurreret. dedimus profecto grande patientiae  
documentum; et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in  
libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per  
inquisitiones etiam loquendi audiendique commercio.  
4 memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si  
tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.

3 Nunc demum redit animus; et quamquam primo  
statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar  
Slow revival of literature. res olim dissociabiles miscuerit, princi-  
patum ac libertatem, augeatque cotidie  
felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo  
ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac  
robur adsumpserit, natura tamen infirmitatis humanae  
tardiora sunt remedia quam mala, et ut corpora nostra  
lente augescunt, cito extinguntur, sic ingenia studiaque  
oppresseris facilis quam revocaveris: subit quippe  
etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia  
2 postremo amatur. quid, si per quindecim annos, grande  
mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus  
quisque saevitia principis interciderunt, pauci, ut  
ita dixerim, non modo aliorum sed etiam nostri super-  
stites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus  
iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae  
3 aetatis terminos per silentium venimus? non tamen  
pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris  
servitutis ac testimonium praesentium bonorum com-  
posuisse. hic interim liber honori Agricolae socii mei

*AGRICOLA*

3

destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

Gnaeus Iulius Agricola, vetere et inlustri Foroiuli-  
Agricola's birth, A.D. 40, family and education. ensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae equestris nobilitas est. pater illi Iulius Graecinus senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque ipsis virtutibus iram Gai Caesaris meritus: namque M. Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est. mater Julia Procilla fuit, rarae castitatis. in huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adulescentiamque transegit. arcebat eum ab inlecebris peccantium praeter ipsius bonam integrumque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massilium habuit, locum Graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum. memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset. scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute adpetebat. mox mitigavit ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio  
His first military service, A.D. 50. Paulino, diligenti ac moderato duci, adprobavit, electus quem contubernio aestimaret. nec Agricola licenter, more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil adpetere in iactationem.

I—2

4

*CORNELII TACITI*

nihil ob formidinem recusare simulque et anxius et  
 intentus agere. non sane alias exercitatiō magisque in  
 ambiguo Britannia fuit: trucidati veterani, incensae colon-  
 iae, intersepti exercitus; tum de salute, mox de victoria  
 certavere. quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius  
 agebantur, ac summa rerum et reciperae provinciae  
 gloria in ducem cessit, artem et usum et stimulos addi-  
 dere iuveni, intravitque animum militaris gloriae cupidio,  
 ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentis interpre-  
 tatio nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

6 Hinc ad capessendos magistratus in urbem degressus

His  
marriage,  
magistracies,  
etc.,  
A.D. 62–68. Domitiam Decidianam, splendidis natali-  
 bus ortam, sibi iunxit; idque matrimonium  
 ad maiora nitenti decus ac robur fuit.

vixeruntque mira concordia, per mutuam  
 caritatem et in vicem se anteponendo, nisi quod in bona  
 uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est.  
 2 sors quaesturae provinciam Asiam, pro consule Salvium  
 Titianum dedit, quorum neutro corruptus est, quamquam  
 et provincia dives ac parata peccantibus, et pro consule  
 in omnem aviditatem pronus quantilibet facilitate re-  
 3 dempturus esset mutuam dissimulationem mali. auctus  
 est ibi filia, in subsidium simul ac solacium ; nam filium  
 ante sublatum brevi amisit. mox inter quaesturam ac  
 tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum  
 quiete et otio transit, gnarus sub Nerone temporum,  
 4 quibus inertia pro sapientiae fuit. idem praeturae torpor  
 et silentium ; nec enim iurisdictio obvenerat. ludos et  
 inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit,  
 5 uti longe a luxuria ita famae propior. tum electus a  
 Galba ad dona templorum recognoscenda diligentissima  
 conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium res  
 publica quam Neronis sensisset.

*AGRICOLA*

5

Sequens annus gravi vulnere animum domumque 7  
 His mother's eius adfixit. nam classis Othoniana li- 2  
 death. center vaga dum Intimilium (Liguria pars  
 est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis  
 suis interfecit, praediaque ipsa et magnam patrimonii  
 partem diripuit, quae causa caedis fuerat. igitur ad 3  
 sollemnia pietatis profectus Agricola, nuntio affectati  
 a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partis  
 transgressus est. initia principatus ac statum urbis 4  
 Mucianus regebat, iuvene admodum Domitiano et ex  
 Legionary paterna fortuna tantum licentiam usurpante.  
 command in is missum ad dilectus agendos Agricolam 5  
 Britain, integreque ac strenue versatum vicesimae  
 A.D. 70. legioni tarde ad sacramentum transgressae praeposuit,  
 ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis  
 quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec  
 legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo  
 an militum ingenio. ita successor simul et ulti electus 6  
 rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos  
 quam fecisse.

Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus, placidius 8  
 His conduct quam feroci provincia dignum est. tem-  
 there. peravit Agricola vim suam ardoremque  
 compescuit, ne cresceret, peritus obsequi eruditusque  
 utilia honestis miscere. brevi deinde Britannia con- 2  
 sularem Petilium Ceriale accepit. habuerunt virtutes  
 spatiū exemplorum, sed primo Cerialis labores modo  
 et discrimina, mox et gloriam communicabat: saepe parti  
 exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex  
 eventu praefecit. nec Agricola umquam in suam famam 3  
 gestis exultavit; ad auctorem ac ducem ut minister for-  
 tunam referebat. ita virtute in obsequendo, verecundia  
 in praedicando extra invidiam nec extra gloriam erat.

Cambridge University Press

978-1-107-48659-1 - Cornelii Taciti: De Vita Iulii Agricolae, De Origine  
Et Moribus Germanorum

Tacitus

Excerpt

[More information](#)

## 6

## CORNELII TACITI

- 9 Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus  
Governor of Aquitania, A.D. 74–76. inter patricios adscivit; ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae in primis dignitatis administratione ac spe
- 2 consulatus, cui destinarat. credunt plerique militaribus ingenii subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori
- 3 non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile iusteque agebat. iam vero tempora curarum remissionumque divisa: ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis intentus severus, et saepius misericors: ubi officio satis factum, nulla ultra potestatis persona.
- 4 tristitiam et adrogantiam et avaritiam exuerat nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. integratatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit.
- 5 ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit: procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores, et vincere inglorium et atteri
- 6 sordidum arbitrabatur. minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur.
- 7 Consul, A.D. 77. Appointed to Britain. haud semper errat fama; aliquando et eligit. consul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum collocavit, et statim Britanniae praepositus est, adiecto pontificatus sacerdotio.
- 10 Britanniae situm populosque multis scriptoribus Geography of Britain. memoratos non in comparationem curae ingenive referam, sed quia tum primum perdomita est: ita quae priores, nondum comperta,

*AGRICOLA*

7

eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, 2  
 insularum quas Romana notitia complectitur maxima,  
 spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem  
 Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam in-  
 spicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto  
 atque aperto mari pulsantur. formam totius Britanniae 3  
 Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentis-  
 simi auctores oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere.  
 et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum 4  
 fama, sed transgressis inmensum et enorme spatium  
 procurrentium extremo iam litore terrarum velut in  
 cuneum tenuatur. hanc oram novissimi maris tunc 5  
 primum Romana classis circumvecta insulam esse  
 Britanniam adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus  
 insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. dis- 6  
 pecta est et Thyle, quia hactenus iussum: et hiems  
 adipetebat. sed mare pigrum et grave remigantibus  
 perhibent ne ventis quidem perinde attolli, credo quod  
 rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum,  
 et profunda moles continui maris tardius impellitur.  
 naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius 7  
 operis est, ac multi rettulere: unum addiderim, nusquam  
 latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc  
 ferre, nec litore tenus ad crescere aut resorberi, sed  
 influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus  
 inseri velut in suo.

Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, 11  
 Its indigenae an advecti, ut inter barbaros  
 inhabitants parum compertum. habitus corporum varii  
 and their cha- atque ex eo argumenta. namque rutilae 2  
 racteristics. Caledoniam habitantium comae, magni artus Germani-  
 cam originem adseverant; Silurum colorati vultus, torti  
 plerumque crines et posita contra Hispania Hiberos

veteres traieceris easque sedes occupasse fidem faciunt ;  
 proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu  
 procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus  
 3 habitum dedit. in universum tamen aestimanti Gallos  
 4 vicinam insulam occupasse credibile est. eorum sacra  
 deprehendas, superstitionum persuasiones ; sermo haud  
 multum diversus, in depositis periculis eadem audacia  
 5 et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. plus  
 tamen ferociae Britanni praefuerunt, ut quos nondum  
 longa pax emollierit. nam Gallos quoque in bellis  
 floruisse accepimus ; mox segnitia cum otio intravit,  
 amissa virtute pariter ac libertate. quod Britannorum  
 olim victimis evenit : ceteri manent quales Galli fuerunt.

**12** In pedite robur ; quaedam nationes et curru proe-  
 liantur. honestior auriga, clientes pro-  
 warfare and  
 politics. pugnant. olim regibus parebant, nunc  
 per principes factionibus et studiis tra-  
 2 huntur. nec aliud adversus validissimas gentis pro-  
 nobis utilius quam quod in commune non consulunt.  
 rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum  
 commune periculum conventus : ita singuli pugnant,  
 3 universi vincuntur. caelum crebris imbris ac nebulis  
 Climate, foedium; asperitas frigorum abest. dierum  
 products, etc. spatia ultra nostri orbis mensuram ; nox  
 clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque  
 4 initium lucis exiguo discrimine internoscas. quod si  
 nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem,  
 nec occidere et exsurgere, sed transire adfirmant.  
 scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non  
 erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit.  
 5 solum praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris  
 oriri sueta patiens frugum, secundum : tarde mitescunt,  
 cito proveniunt ; eademque utriusque rei causa, multus

*AGRICOLA*

9

umor terrarum caelique. fert Britannia aurum et argen- 6  
 tum et alia metalla, pretium victoriae. gignit et Oceanus  
 margarita, sed subfuscata ac liventia. quidam artem abesse 7  
 legentibus arbitrantur; nam in rubro mari viva ac spi-  
 rantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint,  
 colligi: ego facilius crediderim naturam margaritis deesse  
 quam nobis avaritiam.

Ipsi Britanni dilectum ac tributa et iniuncta imperii 13

Roman relations with Britain, B.C. 55–A.D. 43. munia impigre obeunt, si iniuriae absint :  
 has aegre tolerant, iam domiti ut pareant,  
 nondum ut serviant. igitur primus omnium 2  
 Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam in-  
 gressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas ac  
 litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non  
 tradidisse. mox bella civilia et in rem publicam versa 3  
 principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in  
 pace: consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius  
 praeceptum. agitasse Gaium Caesarem de intranda 4  
 Britannia satis constat, ni velox ingenio mobili paenitentiae, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra  
 fuissent. divus Claudius auctor iterati operis, transvectis 5  
 legionibus auxiliisque et adsumpto in partem rerum  
 Vespasiano, quod initium venturae mox fortunae fuit:  
 domitae gentes, capti reges et monstratus fatis Ves-  
 pasianus.

Consularium primus Aulus Plautius praepositus ac 14

Governors of Britain. subinde Ostorius Scapula, uterque bello  
 egregius: redactaque paulatim in formam  
 provinciae proxima pars Britanniae; addita insuper  
 veteranorum colonia. quaedam civitates Cogidumno 2  
 regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus  
 mansit), ut, vetere ac iam pridem recepta populi Romani  
 consuetudine, haberet instrumenta servitutis et reges.

10

*CORNELII TACITI*

3 mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium Veranius exceptit, isque 4 intra annum extinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque praesidiis; quorum fiducia Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem adgressus terga occasioni patefecit.

15 Namque absentia legati remoto metu Britanni agitare <sup>Grievances of the Britons.</sup> inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere: nihil profici patientia nisi ut graviora tamquam ex facili 2 tolerantibus imperentur. singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret. aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam. alterius manus, centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere.

3 nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. in proelio fortiorem esse qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et inbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi dilectus, 4 tamquam mori tantum pro patria nescientibus. quantum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse iugum: et flumine, non 5 Oceano defendi. sibi patriam coniuges parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse. recessuros, ut *divus* Iulus recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur. neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetus felicibus, maiorem constantiam 6 penes miseros esse. iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. porro in eius modi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere.